

securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo
arbor non faciens fructum bonum excidetur & in ig
nem mittetur. Et interrogabant eum turbae dicentes:
Quid ergo faciemus? Respondens autem dicebat illis:
Qui habet duas tunicas, det non habenti. & qui habet escas
similiter faciat. Venerunt autem & publicani ut baptizarentur
& dixerunt ad illum: magister quid faciemus? At ille dixit
ad eos: nihil amplius quam quod constitutum est vobis
faciatis. Interrogabant autem & milites dicentes:
Quid faciemus & nos? & ait illis: neminem concutiatis,
neminem calumniam faciatis, & contenti estote stipen
diis vestris. Existimante autem populo & cogitantibus
omnibus in cordibus suis de Iohanne, ne forte ipse esset
Xps, respondit Iohannes dicens omnibus:
Ego quidem aqua baptizo vos, venit autem fortior me
cuius non sum dignus solvere corrigiam calciamentorum
eius; ipse vos baptizabit in Spiritu & igni.
Cuius ventilabrum in manu eius, & purgabit aream
suam, & congregabit triticum in horreum suum,
palea autem comburet igni inextinguibili. Multaque
alia exhortans evangelizabat populo.
Herodes autem tetrarcha cum corriperetur a Iohanne
de Herodiade uxore fratris sui & de omnibus malis quae fe
cit Herodes, adiecit & hoc super omnia & inclusit Iohannem in
carcerem.